



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Notæ In Notas Willelmi Wendrockii Ad Ludovici Montaltii
Litteras, Et In Disquisitiones Pauli Irenæi Inustæ**

Fabri, Honoré

Coloniæ, 1659

Nota I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39536

Iumine habet, ex iis puris putis fontibus hausit, ut P. Deschamps luculentissimis testimoniiis allatis collatisque locis feliciter demonstravit. Parùm abfuit, quin nomen tuum, Wendrocki, attexerem. Probeimus an quadret, Hork, Wrigth, Whyght, Wendrock: quam bene sonat!

In sextam Epistolam.

N O T A I.

Excasas Montaltii ignorantiam ab Apologista impost. 25. ita demonstratam, ut luce meridiana clarius evaserit. * Fateri ergo debueras, & hoc qualemunque poenitentiae publicae, quae vobis magnopere placet, specimen edere; fateri, inquam, ultrò debueras, Montaltium ignorasse, quid Assassini & Proditoris nomen apud Canonistas significet, quatenus scilicet ad Censuras Ecclesiasticas contrahendas ab iis refertur: aut si hominem satis ignarum excusare velles, id satis erat dixisse, in Summistis, Casuistis, Canonistis & Theologis eum parùm versatum esse; vacasse dumtaxat lectioni SS. Patrum, apud quos haec futilia invenire non potuit. Si haec ingenuè dixisses, esset, quod sinceritatem tuam saltem laudarem, cum nec prudentiam, nec pietatem, nec sanam doctrinam in te quisquam laudare queat. Publicam illam poenitentiam, quam misellis hominibus, qui vestro regimini se credunt, severè imponitis, nullatenus in vobis probare vultis; non estis *sicut cæteri hominum*, scilicet, ut Jesuitæ, Casuistæ, homicidæ, calumniatores, usurarii, Simoniaci: omnia Pharisaica aptè in vos quadrant; hoc unum dumtaxat omittitis *jejuno bis in Sabatho*. Sed bonus sum, qui vobis poenitentiam &

* Pag. 130.

confes-

confessionem publicam persuadere velim, quam à vo-
bis, Censuræ Sorbonicæ, Episcoporum Decreta,
Constitutiones deinùm Apostolicæ extorquere ha-
ctenus non potuerunt. Vnum tamen rogo, aut sal-
tem moneo, ut cum de aliquo pñcto Juris Canonici
vobis disputandum erit, Lexicon saltem & vocabulo-
rum indicem consulatis, ne artis terminos & prima
rudimenta ignoretis, & quispiam severus Canonista
tritum illud occinat, ne sutor ultrà crepidam. Escoba-
rio etiam fœdè imponis. Ab Apologista ita hujus ca-
lumniæ convictus es, ut vel mutire vel hiscere pudeat;
Bonacinam & alios ab Apologista citatos, * quos per
contemptum, leguleios vocas, scilicet Bartolum,
Ambrofium, Farinacium, Peregrinum, Genuensem,
Cajetanum, Probum, Ancaranum, Immolam, Sua-
rez, Menochium, Julium Clarum, Covarruviam,
Mascardum, Gutierez, immò Clementem VIII. tam
graves, & tanto numero auctores, nullius auctorita-
tis homines esse dicis; ut iis nescio quem Menagium
inter auctores classicos innominatum opponas, &
Mosaïca præcepta nobis obtrudas. Et hæc dicere, hæc
scribere non vereris? O tempora! ô mores! est ta-
men quodd tibi faciliùs ignoscatur, qui stylum dum-
taxat & latinitatem primariis hujus sectæ mystagogis
non gratis quidem, sed pretio locasti.

N O T A I I.

Ecclesiæ leges desuetudine abrogari.

DE legibus humanis, Civilibus, & Ecclesiasticis,
quæstio est: quas desuetudine abrogari, nemo
sapiens, nemo doctus, nemo, qui rem intelligat, ne-
get. † De antiquis pœnis, quibus blasphemii olim

* Pag. 131. † Pag. 131.